



DISSERTATIO IN BONOS MALOSQUE ANGELOS.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bonis Angelis.

Plenum de Angelis tractatum dare, nostri non est instituti; sed ea tantum exponenda suscipimus, quae de illis sive in Libris Sactis occurrunt, sive quae Haebrei & priores Ecclesiae Patres philosophati sunt; eo scilicet consilio, ut locis Sacrae Scripturae, in quibus Angelorum mentio, lux aliquid affundatur. Quae de re differentibus nobis, plura obiter nec minoris momenti sese offerent excutienda, quae in nostro Commentario, utpote ab argumento aliena, sive praeterita sunt, sive levius tantum discussa.

Nullum ante captivitatem Babylonicam Angelorum nomen auditum est inter Hebraeos. Qui Manuelli patri Samsonis per visum apparuit Angelus, ut nomen suum proderet rogatus, respondit: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile (f)?* Angeli illi, qui videndos se præbuerunt Abrahamo, Loth, Moyfi, Josue, ceterisque Patriarchis Angelos tantum, nempe à Deo missos sese appellabant. Ipsius interdem Dei nomen, tanquam legatione ab ipso ejusque nomine fungentes, sibi usurpant. Quare peculiaris Angelorum nomina à Chaldaea unà cum Judæis ex ea regione remeantibus, in Judæam investa sunt; quemadmodum & à Thalmudistis pariter assertum est (g). Tobias omnium primus occurrit, qui Angelum *Raphaelem* peculiari nomine expresserit [b]. Vivebat autem Tobias in urbe Ninive aliquandiu ante captivitatem Juda, ejusque nomine inscriptus Liber ab ipso eodemque Authore digestus, diffinitibus tamen nonnullis, vulgò creditur.

Junior aliquanto Tobia Daniel Babylone degens, nomina *Michaelis (i)*, & *Gabrielis (k)*, promit. Author 4. *Esdrae (l)* meminit *Urielis & Jeremielis*. Sed ille multò est *Esdra* recentior, & facile post Jesum Christum florebat. Nomina Angelorum frequentissima in Libro *Enoch* leguntur, quod tamen Opus remotissimæ antiquitatis commentum non est, & nos fusius de illo in articulo de pravis Angelis. In Liturgiis Orientalibus est Angelus

Suriel, sunt & 4. animalia, & 24. Seniores, de quibus *Apoc. 4. 4. 6.* in eadem cum cæteris Sanctis classe.

Suum singulis Patriarchis institutum Angelum assignant Cabalisticæ Angelum *Razaelem* Adamo, *Jophielem* Semo, *Zedekielem* Abrahamo, *Raphaelem* Isaac, *Pelielem* Jacobo, *Gabrielem* Josepho, *Metatronem* Moyfi, *Maluschielem* Helia, *Cerbielem* Davidi. Persuasum pariter habent, in toto Angelorum cœtu Septuaginta distingui, qui communicato sibi Dei nomine clarent, juxta illud *Exod. 23. 21.* *Est nomen meum in illo.* Credunt autem, siquidem fieri posset, ut genuinum septuaginta illorum Angelorum nomen scire daretur, futurum ut eius invocatione omnia præstarentur, virtute scilicet nominis Dei, quod Angelis illis infidet. In hoc igitur investigando studia sua omnia collocant Cabalisticæ.

In Libris N. T. nullum Angelorum nomen novum occurrit, sed duo tantum, *Gabrielis* nempe (m), & *Michaelis* (*), in Veteri Testamento nota, servantur. Legimus quidem apud S. Paulum Principatus, Potestates, Thronos, & Dominationes; sed hæc hierarchia Angelicæ gradus designant, quorum nempe alii aliis præstant & veluti dominantur. Angelorum peculiaris nomina in Cælum raptum Apostolum didicisse S. Chrysostomus autumavit (n); nequid autem proderet, in causa fuisse viro sapientissimo, quod scilicet metueret, ne superstitio aliqua in eorum cultu gigneret, neve insitum homini in res novas studium ed curiosas mentes deduceret, ut inutilibus investigandis bonas horas perderent.

E nihil creatos Angelos ignorat nemo; quo verò tempore, qua prodierint ratione, inter varias diversorum sententias incerti versamur. Eà de re nihil apud Moysen, nisi fortè eum à Deo creatos Calos testatus est, sub ejus nominis ambagibus creatos Angelos, Cæli singulares incolas, designavit; quod non unus ex Patribus suspicatus est (o). Malunt alii, non Calorum sed lucis nomine à Moyse Angelos significari (p). Alii, nec infrequentes autumant, ante productum mundum Angelos

m Luc. 1. 19. 26.

* *Juda ver. 9. & Apoc. 12. 7.* n *Chrysol. de incomprehensib. Dei nat. homil. 4. p. 410. & hom. 5. p. 386. & 420.*

o *Origen. homil. 1. in Genes. Beda. Strabus.*

Angelorum productio.

p *Vide Aug. l. 1. de Genes. ad lit. c. 9. & l. 11. de Civit. vii. c. 9. Petr. Lomb. in 2. Dist. 13. Rupert. l. 1. de Trinit. c. 10.*

Nomina Angelorum.

f *Judic. 13. 18. Vide etiam Gen. 32. 20. Ubi Angelus sciscitanti eà de re Jacob respondit. Cur quæris nomen meum?*

g *Talmud Jerosol. de principio anni. h Tob. 3. 25. & 11. 14.*

i *Dan. 10. 21. k Dan. 8. 16. & 9. 21. l 4. Esdrae 4. 36. & 6. 20.*

Origen. homil. 1. in Genes. & homil. 10. in Matth. Basili. homil. 1. in Hexamer. Nazian. orat. 38. & 42. & pluribus. & Hilari. in l. 12. de Trinit. & lib. contr. Auxent.

Vide, si lubet, Petav. Theolog. dogm. 2. 3. l. 1. c. 15. art. 16. & Maimonid. in More Neboch. part. 2. c. 6. & Besebit Rabb. Scil. 8.

X Aug. l. 2. contra Faust. c. 10. & l. 2. de Genes. ad lit. c. 8. Y Aug. l. 11. de Civit. c. 10. & c. 16. & c. 10. & c. 11. 2 Aug. lib. imperf. de Genes. ad lit. c. 3. & l. 11. de Civit. c. 32.

b Concil. Lazeran. sub Innocentio III. c. 1. Vide & Concil. Nicen. II. art. 5. an. 780.

c Vide Petav. l. 1. de Ang. c. 15. n. 13.

Angelorum natura.

los prodiisse (q), cui sententia favore visus est *Job 38. 7. Ubi eras quando ponebam fundamenta terre... cum me laudabant simul astra matutina, & jubilarent, omnes Filii Dei?* In hanc sententiam concessum est plerumque à Veteribus Græcis ipsique pariter Latinis Patribus nonnullis; uti S. Ambrosio in *Hexameronom* hom. 1. c. 5. S. Hilario (r); S. Hieronymo in cap. 2. *Epist. ad Tit. Cassiano* collat. 8. c. 7. alisque.

Mores tamen Patrum Latinorum pars cum Græcorum nonnullis tenet, Angelorum productionem ipsum Mundum non prævertisse (s); quæ posterior sententia hodie obtinet. Autumant Hebraei [t], secundà Mundi die Angelos prodiisse, eoque statim ad consilium ab ipso Deo Creatore adhibitos, quod illis verbis innuitur *Gen. 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ad quintam diem revocant alii [u]; nec defunt, qui singulis diebus creari Angelos, vel potius à flumine quodam, *Dinor* appellato, emergere defendant. In tantam denique audaciam, à nonnullis ventum est, ut alterum ab altero verà quadam generatione prognatos, *Gabrielem* e. g. filium S. Michaelis constituentes, asseruerint. Saducei Angelos omnes è medio tollebant; quorum errorem defendens R. Ben-Gerson, tuetur Angelos, sive Dæmones nullibi unquam paruisse; & si fortè in Sacra Scriptura testimonia de illis occurrant, hæc ad metaphoricum sensum detorquenda esse.

De tempore, quo Angeli producti sunt, incertus fluctuat Augustinus. Aliquando enim docet, primà Mundi die prodiisse [x]; aliquando verò cum luce confudisse illos visus est (y); interdum ante res creatas omnes extitisse asserit (z); ac tandem non semel, quam eligat sententiam in re obscura ambiguis, quæstionem hanc relinquit in medio (a). Sanior Theologorum ætatis nostræ pars, quæ Angelorum productionem cum mundi ipso componit, laudat in eam rem illud *Eccl. 18. 1. Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; idest non singillatim, & in tempore, ex quo Deus ad condendas creaturas se contulit, sed omnes pariter ab exordio temporis è nihilo produxit, tam visibiles, quam invisibiles, tam corpore, quam spiritu tantum constantes; ita enim ejus sententiæ sensum promit Concilium Lateranense [b]: *Deus creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui suâ omnipotentis virtute simul ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam.* Hujus apertissimi textus autoritate sapientissimè in Scholis ingestâ, nequaquam tamen factum est, quin plures, nec infimæ notæ, Theologi defenderent in ea Ecclesiastici sententia nihil insinuari aliud, quàm quod ad unum Deum authorem visibilia pertinerent, cui profectò dogmati nemo sanæ mentis refragatur; de reliquo verò, de tempore creatæ Angelicæ naturæ quæstionem adhuc in medio relinquit (c).

Spiritalis esse naturæ Angelos, ætate nostrâ nemo refragatur. Non eadem tamen *Dissert. Calmet. Tom. II.*

apud omnes a quæ Veteres recepta sententia; cum instructos corpore Angelos multorum ferret opinio, favente Scripturâ. Faciunt enim in hanc rem quæ de Angelis, sensibus instructis, luce quadam nitentibus, ignis, venti, aeris speciem exhibentibus, in eadem Scriptura leguntur. Hominis speciem præferere Angelus ille, qui Abraham, ille qui Moyfi, qui Josue, qui tandem aliis per visum apparuerit; nihil in illis non humanum, sermo, incessus, cibi degustandi ratio, ac tandem pedum lotio, quid non? Ignem in medio rubi exhibuit Angelus à Moyse in deserto spectatus (d). Mixtam ex pluribus formam assumpserat Angelus, fores Paradisi igneo gladio defendens (e). Angelus qui monstrandâ Israelitis via per desertum cælitus datus est; fulgida nubis speciem noctu, opacæ verò diu referebat (f). Militari habitu alter Josue sese obtulit (g). Cherubim thronum gloria Domini sustentantes, ab Ezechiele pinguntur tanquam animalia, quæ in unâ eademque formâ hominem, aquilam, bovem & leonem conjungerent (h). Eisdem Cherubim hominis similitudine sex alis instructos *Isaïas 6. 1. 2.* exhibet. Radiantem ore, coruscantem oculis & corpore instar chrysoliti pellucidum alterum Daniel suspexit (i). In equiforma, sicut & foemina, Angelos spectavit Zacharias cap. 5. 9. & 6. 2. &c. Quid non corporeum in his omnibus?

Priorum sæculorum Patres ferè omnes, instructos corpore Angelos autumarunt, corpore tamen maximè tenui, omnia pervadente, quod agilitate suâ aerem ipsum & ventum superaret; nec tamen Spiritus nomen abiecerunt, quamquam alias, huic nomini significaciones aptarent. Spiritum igitur reputabant corpus illud, ultra quod cogitatione assequi quis posset, subtile; quemadmodum in corpore concipimus Spiritus quosdam, (animales appellamus) ex tenui quadam sanguinis portione in cerebro instar spiritus elaborata, qua muscoli omnes nervique ciantur. Illud etiam asserendum sibi censuit S. Justinus Martyr (k), in Cælo nimirum Angelos cibo nutriri, cibo, inquam, non crasso, quemadmodum nos, sed altero cælesti opificio parato, veluti manna, cui in Scriptura inditum nomen: *Panis Angelorum (l)*. Nec antiquitatis studiosos fugit (m), Veterum illorum plebrosque id habuisse persuasum, ex Angelis nimirum carnali commercio cum filiabus hominum commixtis prodiisse Gigantes, viros illos non saturâ tantum corporis, sed & criminum immanitate notissimos.

Cujus opinionis fontes altius repetendæ sunt; ita enim fuerat veteribus Hebræis persuasum, quemadmodum ex Libro apocrypho *Henoch*, sive historia de ipsorum erga filias hominum deperdito amore, sicut & de bello ab illis in Deum illato intelligimus. Serid pariter Josephus asseruit, Angelos nefario amore hominum filias deperuisse (n), cujus commercii fructus filii nequissimi nati sunt. Autuma vit Philo, de Gigantibus, Angelos quidem Spiritu constare, sed corpori pariter veluti animas

d *Exod. 3. 2.*

e *Genes. 3. 24.*

f *Exod. 14. 19.*

g *Josue 5. 13.*

h *Ezech. 1. 5 & 6. 7.*

i *Dan. 10. 1 & 2.*

k *Justin. Dial. 1. cum Tryphone.*

l *Psal. 77. m Justin. Apol. 1. init. Athanas. Apolog. Clem. Alex. Strom. 1. 3. Method. de Resurr. apud Epiph. bar. 64. Tertull. de veland. Virgin. Last. 1. 2. c. 14. Ambros. Apolog. David, c. 1. n Antiqu. l. 1. c. 4.*

conjugi, sicut & post obitum ab ea committione secretos, pristinas acris sedes repetere. Manet eadem sententia apud Rabbinos quamplures; & Jesu Christi atque Apostolorum ætate corpore quodam aereo & subtili constituisse Angelos ne ambigebatur quidem. Jesus Christus post resurrectionem suam hære suspensos Apostolos intelligens, ambigentes num spiritum aliquem sub Magistri specie coram spectarent, Videte & palpate, ait, quoniam Spiritus carnis & ossa non habet (a). Phantasmata quodam illudi sibi primò tinnuerunt Apostoli, cum super Maris Tiberiadis undas gradientem eundem Jesum spectarent (p); & cum S. Petrus de carcere liberatus præ foribus edium Apostolorum stans pulsaret, non ipse reapse Petrus, sed ejus spiritus adesse primò creditus est (q).

Plus aliquid asserendum sibi Rabbino- rum aliqui (r) censuerunt, discretionem sexus, mares nempe & foeminas inter Angelos statuentes. Addunt, geminos Cherubim, quorum simulachra Moyses super Arcam Fœderis collocavit, alterum marem, alterum foeminam exhibuisse. Sexu discretos pariter asserunt duos Seraphim nunquam non clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus apud Isaiam 6. r. 2. His semel constitutis, in eam opinionem aliqui venerunt, ut Angelorum velut hominum species in dies generatione propagari crederent. Eadem sententia, sed naturæ spirituum magis congruens, traditur à S. Gregorio Nysseno (s), quippe qui credit Angelos quidem, sed non maritali commercio propagari, quemadmodum & cum hominibus futurum fuisse reputat, siquidem pristinam innocentiam retinissent.

Verùm si generatione augeri potest numerus Angelorum, num etiam interitum minuantur? Utique sanè ex Hebræorum doctrinâ (t). Arbitrantur illi, post primam Templi everisionem per Chaldaeos de numero Angelorum plurimum decessisse; quod ipsi duplici Job & Danielis inter se collato testimonio asserunt. Job 25. 3. Numquid est numerus militum ejus? Daniel. 7. 10. Aspicebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedet; thronus ejus flamma ignis. Fluvius ignis rapidusque egrediebatur à facie ejus. Millia millium ministrabant ei, & decies milia centena millia assistebant ei. Angelorum ergo turba numero censebatur sub Daniele, numerum autem vincebat sub Jobo. Bella ratiocinatio! Doctores tamen Judæorum sapientiores (*) in nostram sententiam concedentes, Angelos spiritu tantum constare ab omni secretis materiâ defendunt; quæque in Scriptura alteram opinionem præferre testimonia videntur, hæc symbolica quadam ratione exponentes, alarum ænigmate designari dicunt Angelicæ naturæ subtilem tenuemque substantiam; hominis specie acrem illam intelligendi vim; bos virtutem, aquila acumen, leo fortitudinem, ignis zelum, ventus agilitatem &c. exprimunt.

Patres illi, qui corpora Angelis affinxerunt, non subtilem tantum tenuemque cor-

pori illi dotem atque agilitatem concessisse contenti, addiderunt pariter & animam spiritalem; & intelligendi facultate instructam, ut proinde corpore pariter & spiritu natura illa constaret (u). Qua igitur substantiæ suæ portione intelligendi acumine præstant, non nisi spiritum referre apud Patres illos Angeli creduntur; quæ verò parte in loco aliquo continentur claudunturque, moventur pariter, & ex uno ad alterum locum se transferunt, ea non nisi corpore & materiâ constat. Non infima pariter eorum pars docet (x); hominis spiritum corpori, aliter planè ab eo, quo constamus corpore, conjunctum esse; corpori, inquam, spiritali; & ab omnibus sensibilibus, quibus obidemur, corporibus planè diverso. Qui sive materiali substantiâ absque ulla corporea adjectionis societate intelligatur subsistere, unus inter omnes est Deus, ait Origenes de principiis lib. 1. cap. 6.

Bonis malisque Angelis corpus tribuit S. Augustinus (†). Dæmonibus præ bonis Angelis crassius. Antequam transgrederebantur, addit, caelestia corpora gerebant. Neque hoc mirum est, si conversæ sint ex pæna in aeream qualitatem, ut jam possint ab igne, id est, ab elemento naturæ superioris aliquid pati (y). Claudianus Mamertus de stat. anim. l. 3. S. Petrus Chrysologus serm. 52. Cassianus Collat. 7. c. 13. Fulgentius de Trinit. Gennadius de Eccles. Dogm. c. 11. 12. Rupertus Abbas (z) tanquam certum aliquid absolutumque ponunt, Deum ex omnibus unum spiritu solo constare, cetera ex corpore pariter, & animâ compingi. Inter corpora Dæmones recensent Cajetanus in Ephes. 2. & Eugubinus (a); nec Grotio (*) probatur ea, qua in opinionem Aristotelis concessam est, facilitas; illum enim Philosophum credit spiritum ab omni materia discretorum primum fabricatorem.

Quod autem hanc commendavit opinionem, illud potissimum reputandum est, nimirum, 1. Autoritas Scripturæ, Angelos sub corporea quadam specie plerumque exhibentis; 2. Hæc in speciem plausibilis ratiocinatio: Quidquid ex uno in alterum locum transfertur, quidquid cietur, corpore constat; sunt igitur inter corporeas creaturas Angeli recensendi. 3. Tandem quidquid mutationi obnoxium est, quidquid variis subjicitur qualitatibus ab omni nunquam fieri potest ut secernatur materiâ. Angelos verò variis mutationibus obnoxios fuisse, ex variis, quibus spectandos se præbent, formis satis colligimus; ignis pariter supplicio torquentur; quæ omnia corporis argumentum sunt apertissimum.

Verùm hisce omnibus reponimus, Scripturam ideas subjicere nostris conceptibus accommodas, cum Angelorum imagines corporeas exhibet. Idem pariter ab illa præstitum, cum Dei meminit; equis autem corpore constare Deum crediderit? Ita pariter cum Angelos ex uno in alterum locum transferri dicit, cum modò in Cælo, modò in terris versari animadvertit, variam tantum operandi rationem, qua præsentis suæ documenta variis in locis exhibent

u Vide Baſt. de Spir. S. 6. 16. Idem, ſeu alius, in Iſai. 13. 7. Ephem. Serm. de Natura Dei. m. nimè ſerutan. da. Alii apud Petav. de Ang. l. 1. c. 15. x Method. apud Phot. Cod. 234. Jo. Theſſalonie. in Occumenica. VII. Synodo lectus, añ 5. pag. 548. Tertull. de carne Chriſti, Hilar. in Matib. can. 5. † Aug. Ep. olim 115. nunc 14. Item l. 3. de Geneſ. ad lit. c. 10. y Idem loc. cit. de Gen. ad lit. z De Trinit. l. 1. c. 11. & 17. & l. 2. de Viſ. Verbi. c. 28. &c. a De peren. Philoſ. l. 8. * Grot. in Pſal. 103. X. 5.

Luc. 24. 39.

Matth. 14. 26.

Ath. 12. 16.

Rab. Urſel. Vide Manasse Ben- Iſrael Conciliat. in Exod. 9. 30. pag. 142.

De Mundi Opific. Vide & Casare Dial. 3. & Barcephæ de Paradiso.

Vide Excerpta Gemar. de opere curris apud Hottingerum, p. 71. 73.

Maimonidæ fundament. Leg. c. 2. §. 4. More Nebotchim, par. 1. c. 47. R. Eliezer, Pirke, p. 6.

bent Angeli, designat; nec tamen propterea ita locum occupant, quemadmodum à corpore factum novimus. Quas autem subeunt Angeli mutationes, illæ spirituali eorum naturæ nihil proflus repugnant; & metaphorico quodam sensu explicandos esse eâ in re Sacros Libros constat, siquidem eas in Angelis mutationes isdem phraſibus exprimat, quibus mutationes corporum designantur.

Plerique ex Patribus (b), & Theologi nostræ ætatis universi naturam tantum spirituales, & intelligendi facultate instructam Angelis vindicant. Eandem sententiam non obscure præfert Philo Judæus (c), docens, Angelos Spiritus esse felices, & à corpore secretos. Addit insuper, aerem sedem esse animarum pariter, & animalium; cum enim sua singulis elementis animantia, aquæ scilicet & terræ, assignaverit Deus, cur aerem reliquerit vacuum non satis intelligitur. Ex his verò spiritibus, qui regionem tenent aeream, alii insitâ quadam à natura propensione in humana corpora ita feruntur, ut in unum coalescentes cum corpore, hominem constituent. Regionem alii multò superiorem tenent, à corpore pariter, & à terra abhorrentes. Alii tandem relicto, quod prius animabant, corpore, ab ejus complexionem interitu hominis avulsi, ad pristinas raptim in aere sedes convolant.

Alibi verò (d) de Genis mortalia corpora tenentibus agens, hominibus in profluentem rapidioris amnis prolapsis comparat. Qui enim viribus & natandi scientiâ instructi sunt, præsentissimum mortis periculum facile evitant; cæteros gurgitis & torrentis ætus abripit. Ita pariter & boni quidam Angeli ita humanis corporibus junguntur, ut semper mentem habeant ad superiora & divina liberam; cum interim mali illi Genii corpora animantes, totam in vitiis demergant. Quare si Philonem doctentem audias, Angeli, Dæmones & hominum animæ solo tantum nomine differunt, non naturâ, quanquam indole, & in muneribus gerendis differant; cum boni illi Angeli ita corpus teneant, ut corpori non devinciantur, miserationum Domini veluti instrumenta, & inter Deum hominesque veluti mediatores sese exhibent; ultionis autem & justitiæ Domini ministri sunt Dæmones. Hæc de Angelis Philo.

Josephus vir Pharisæus (e) narrat, Eseniorum sententiâ (f) animas ex aere in corpora illabi, ut in corpore veluti in carcere claudantur; quas à se relictas sedes, statim post resoluta vincula corporis repetunt. Quod autem in corpora sine illabantur, sive proruant, in causâ fuisse dicunt insitam quandam in Angelis à natura in eadem corpora propensionem. Dæmones homines quosdam insistentes ex ejusdem Authoris de Bell. l. 7. c. 25. sententiâ, ipsissime sunt anime impiorum, quæ cum aereas sedes non repetierint, misera quadam occupant corpora, vel hostili animo aggradiuntur, omni conantes nisi ut pereant. Docet tandem [g] ex Pharisæorum sententia

e De vita sua init. f De bell. Judaic. l. 2. c. 12. p. 787.

g De bell. l. 2. c. 12. Vide & Antiquit. l. 8. c. 2.

tiâ animas immortalitate donari, sicut & ex uno in aliud corpus transmigrare, ac tandem æternis cruciatibus animas impiorum addici, ut in corpora remeandi omnis illis facultas interdicatur.

Ex ejusdem facile opinionis persuasione, ætate Jesu Christi inter Judæos pervulgatâ, fieri potuisse credimus, ut Dæmoniâ, quos Jesus convalescere jubebat, quærentur, ante tempus se ab illo torquenti (i); Spiritus enim pravi, qui corporibus veluti animæ quædam insidebant, atque post se semel contubernio nunquam nisi in obitu sese expellendos credebant, vehementi percellerantur timore, ne fortè inde pulsi ad Inferni tormenta depellerentur; nisi fortè in alium transmigrare hominem daretur, in quo diutius supplicia removerent. Hinc facile legio illa (k), quæ hominem in regione Gerasenorum obfederat, Jesum rogavit, ut fieret sibi permisso insiliendi in gregem porcorum, nec imperaret illis, ut in abyssum irent (l).

His omnibus satis evidenti argumento probatur, invaluisse apud Judæos opinionem de animarum ante formatum corpus præexistentiâ, sicut & metempsychoseos sententiam latè apud illos tunc, sicut & hodie etiam, obtinuisse. Apparent ejus vestigia quæ in Apostolis ipsis, quæ in Judæis synchris: Discipuli enim viso homine à nativitate cæco, rogarunt Jesum, an criminum suorum, an parentum merito cæcus ille ultionem hanc in suum caput provocasset (m). Equod, rogo, crimen committere vir ille potuisset, antequam in mandum nasceretur, ut cæcitatem referret ex utero? Dicitabant alii Eliam, sive Jeremiam, vel alium de veteribus Prophetis in Jesu Christo paruisse (n). Transmigrasse in illum animam Joannis Baptistæ fato jam functi, Herodes comminisceretur (o).

Si autem spiritali constant naturâ Angeli, nulli pariter subiciantur corruptioni sive interitui necesse est: quin & ab omni eos immunes letho illi pariter pronunciantur, qui corpore compactos rebantur. Neque ab alio unquam, quem noverim, nisi à Rabbinis quibusdam, in tantam opinionis audaciam ventum est, ut nasci Angelos & interire assererent. Visum est quidem veteribus nonnullis Patribus, posse illos letho subesse, nec immortalitate, nisi speciali Dei privilegio, Dei, inquam, servantis, neve in nihilum redirent prohibentis, donari. Omnia qua facta sunt, ait S. Ireneus, (p) initium quidem sua factura habent; perseverant autem, quoad usque Deus & esse & perseverare voluerit.

Angelus naturâ suâ immortalitatem non refert, sed voluntate Creatoris, ait S. Ambrosius de fide lib. 3. cap. 2. Deus solus habet immortalitatem, ait Apostolus 1. Timot. 6. 16., quod ipse naturâ suâ nulli, ne morti quidem, subiciatur; cetera verò omnia nullâ immortalitate, nisi ex accepto Dei privilegio donantur (q). Sed numquid in præsentia sub naturæ nomine æquivo- cationis aliquid latet? Si enim voluntate Dei Angelus immortalitatem refert, est

i Matth. 8. 30.

k Luc. 8. 30. Matth. 8. 30.

l Luc. 8. 31.

m Joan. 9. 2.

n Matth. 16. 14. o Marc. 6. 16. Luc. 9. 9. Vide in hac loca nostrum Comment.

p Iren. l. 2. c. 64. Vide Arnob. l. 2. Damasc. l. 2. de fide c. 3. Sophron. in Actis Synod. 6. Act. 11. Cyrill. Alexan. thes. l. 20. Hilar. in Pſal. 148. Alii q Author Q. ad Ortbod. 9. 61.